

05

A

2377





Ex Practicâ Philosophiâ

de

Temperantiâ,

Duce Deo & Preside

M. MICHAELE WENDELERO,

Facult. Philos. Adjuncto,

Johannes Gottlieb Schlegelius

Dresdensis

publicè disputabit

ad diem 24. Decemb. horis antemeridianis

In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.

Anno M DC XXXVIII.



05 A 2377

Typographischer Anstalt
Annoy de Kattar

R. 1. 1. 1. 1.



Continuatio.

Corporibus aggravatis subducendum esse cibum ac potum, ut navibus sentinae plenis onus detrahendum, ait Plutarchus. Presentissima enim mors instat, quae nihil horribilius. Urgent frequentes atque immanes maris fluctus, quibus nihil vehementius. Pari modo cum hominis corpore est comparatum, cui si habenas relaxamus, voluptatibus indulget, ut anima, debilitatis viribus, fidelissimus corporis nauclerus, suo officio amplius fungi nequeat. Plenum ita terrestrium voluptatum sentina subsidit atque ad interitum vergit. Hoc opus, hic labor erit, jam jam illecebris hujus mundi plane immergendum ab interitu vindicare, quod plus virium requiratur, quam ad arcendum a mœnibus hostem, ad luxuriantem carnem refrenandum. Hinc fortiolem Ovidius pronunciat illum, qui se, quam qui fortissima pectora, vincit. Ut ut sit difficile, omnibus viribus tamen est annitendum, quomodo, sentinae cibi & potus exhausta, ad vitandum tragicum exitum portui appropinquare possimus. Media elabendi offert Temperantia, cujus naturam cum bono Deo diligenter queremus, constituendo secundum consuetum morem praecepta, explicationes & quaestiones.

Praecepta.

1. Temperantia est virtus moralis, quae servat mediocritatem circa voluptates, quae ex cibo, potu & Venere percipiuntur.
2. Ejus extrema sunt Intemperantia & Stupiditas.
3. Intemperantia est vitium morale, quod in excessu peccat circa cibum, potum & Venerem.
4. Stupiditas est vitium morale, quod in defectu peccat circa cibum, potum & Venerem.

Explicationes.

§. Temperantia nomen habet à temperando, quod est moderari, abstinere, quia hæc virtus temperat & freno quasi cohibet voluptates circa gustum & tactum versantes.

2. §. Sumitur generalissimè pro quâcunque naturali continentia. 2. generaliter pro quâcunque commutationum animi moderatione, seu pro virtute, quæ affectus temperat, seu iis imperat. 3. Specialiter pro illâ virtutis moralis specie, quæ gulæ ac Veneri modum præscribit.

3. §. Objectum temperantiæ est vel primarium, vel secundarium. Primarium sunt voluptates, quæ afficiunt gustum & tactum, & ex cibo, potu & Venere percipiuntur. Et hoc est fundamentum, cur tres temperantiæ constituantur species. Secundarium sunt dolores ex nimio desiderio voluptatum & privatione orti. Nam Temperantiæ est magis voluptates, quàm dolores moderari: partim, quia difficilius est, sibi temperare à præsentibus voluptatibus, quàm ob absentem moderatè dolere; partim, quia versatur circa voluptates per se, circa dolores per accidens. Hinc interdum objectum Temperantiæ solæ voluptates dici solent.

4. §. Notandum, quòd circa dolores non eodem modo versetur, quo Fortitudo. Nam fortis dolores præsentis patienti fert animo. Temperans verò dolores ex voluptatum absentia ortos, vel planè negligit, vel ita temperat, ut ultra honestatem iis non moveatur.

5. §. Propria hominis temperantis officia sunt duo. 1. Honestas tantum voluptates expetere, iisque præsentibus moderatè uti, absentibus non immoderatè dolere. 2. Licitis ita frui, ut rectæ rationis normam adhibeat, ne in personis, tempore, loco, aliisque circumstantiis peccetur.

6. §. Itaque vir temperans habet rationem famæ atque estimationis suæ, ne hæc quidpiam indignum voluptatum gratia committat. 2. Decorum in tempore, loco & aliis circumstantiis. Non enim licitis cupiditatibus ubiq; & semper indulgere est permissum. 3. Valetudinis & virium corporis, quas nimia voluptatum indulgentia lædit. Ideò tantum cibi & potus adhibendum, ut reficiantur,

tur,

tur, non ut opprimantur. 4. Sumptuum & facultatum, ne voluptates
iusto majores sint.

7. §. Hinc instar Corollarij sequitur, illum non esse temperan-
tem, qui vel naturâ, vel penuriâ sumptuum, vel morbo, vel voto, hoc est
invitè à nonnullis rebus abstinet, vel potius abstinere cogitur, quia
coactio in moralibus locum non invenit.

8. §. Temperantiæ effectia alia ad corpus, alia ad animum re-
feruntur. Ad corpus sanitas & pulcritudo. Ut Intemperantia ple-
risque deformitatem & morbos adfert, ita Temperantia pulcritu-
dinem & sanitatem juxta triam vulgi sententiam: Multi magni
morbi curantur quiete atque abstinentiâ. Quæ ad animum re-
feruntur, sunt sequentia: Hominem reddit alacrem ad alias vir-
tutes morales tam acquirendas, quam exercendas. Quod funda-
mentum est omnis virtutis, maximè prudentiæ. 2. Ingenium, ju-
dicium & memoriâ conservat ac confirmat. Inde indigitatur
animi robur. 3. Eruditioni & sapientiæ plurimum conducit. Ani-
ma sicca est sapientissima. Siculos esse idoneos ad literarum
studia, Plato negat, quod libidinibus & gulæ nimium essent de-
diti.

9. §. Temperantiæ extrema ob diversas species consideran-
tur, tum in genere, tum in specie. Generaliter in excessu huic
virtuti opponitur, ut præcepta informant, Intemperantia, Græcis
est ἀνομοσύνη: in defectu (nomine proprio caret, quia rarissimè repe-
rire est.) Stupiditas seu stupor sensuum, Græc. ἀναισθησία. Intem-
perantia omnis generis voluptates in gustu & tactu immoderatè &
sine discrimine appetit. Stupiditas contra omnes, etiam necessa-
rias & licitas, contemtu habet.

10. §. Intemperantes sine discrimine quasvis voluptates, etiam
turpes, affectant: plures & majores quàm par est: neque loci, neque
temporis, neque personarum ullam habent rationem, modò vo-
luptatibus suis, à quibus, tanquam mancipia, ad quævis flagitia
ducuntur, potiuntur: ipsi honestati voluptates præferunt: non so-
lum ob illarum absentiam, sed etiam vehemens desiderium sen-
tiunt dolorem.

11. §. Stupidi in omni voluptatum genere inventi existunt ra-
rissimi.

rissimi. Adpellantur immanes, eò quòd omnes voluptates respuant, hominis & animalis naturam exuant, adeòque sint instar lapidis & trunci, in quibus nullus est sensus. Nam non solum homines, sed cætera quoque animalia jucunda ab injucundis discernunt.

12. §. Extremis primo loco explicatis, citius & melius Temperantiæ speciebus sumus satisfacturi. Dividunt hanc in Frugalitatem & Castitatem. Hujus divisionis fundamentum desumitur ex objecto, quod vel in individui vel speciei conservatione consistit. In priori est voluptas ex cibo & potu, quam Frugalitas moderatur: in posteriori est voluptas ex Venere, cui Castitas medetur.

13. §. *Frugalitas est Temperantia, quæ servat mediocritatem circa cibum & potum.* Hic cujusque naturæ ratio est habenda, quia unus altero, illasâ Frugalitate, victu copiosiori uti potest. Igitur in sumendo, nutrimento Proportio non Arithmetica, ut omnibus eadem cibi & potûs portio detur, sed Geometrica est observanda, ut cuilibet naturæ tantum, quantum ei convenit, nec plus, nec minus, quàm decet, porrigatur. Homines enim multum inter se variant ratione ætatis, corporis, staturæ, temperamenti & stomachi.

14. §. Porrò Frugalitatem subdividimus in Abstemiam & Sobrietatem. Abstemia est Frugalitas, quæ servat mediocritatem circa cibum capiendum. Abstemientis officia sunt sequentia: 1. Abstiniens non ob voluptatem, sed ob naturæ necessitatem esculenta capit. 2. In omnibus honestatem respicit, mediocritatem non negligit, neque contra decorum peccat. Igitur seipsum intuetur, cibos naturæ convenientes eligit, & in omnibus suam valetudinem curat. 3. In comedendi actu non festinat, aut optima quæque eligit. 4. Non intempestivè, fame non exigente, cibos appetit, sed stata ac certa cœnæ & prandij tempora observat.

15. §. Extrema sunt *Voracitas & nimia corporis maceratio.* *Voracitas est vitium morale, quod in excessu peccat circa cibum.* Aliis est ingurgitatio, ingluvies. Ita peccantes appellantur ventres, lurcones, comedones, liguriones. Consistit ergò hoc vitium in nimia cibi quantitate, nimia festinatione, culpabili electione, & tandem intempestivâ comestione.

16. §.

16. §. *Corporis maceratio est vitium morale, quod in defectu peccat circa cibum.* Hoc vitium est rarissimum. Imputatur Chry-
sippo, qui studiis adeo fuit immersus, ut cibi & corporis curæ pro-
fus oblivisceretur. Hujus loci sunt Euctiones, qui in colligendis
thesauris & esuriunt & sitiunt ita, ut, si vitam vel unico teruncio
possent redimere, vix facerent: nec non illi, qui irâ, amore cate-
risque affectibus animi irregularibus irretiti sunt.

17. §. *Sobrietas est Frugalitas, quæ servat mediocritatem circa potum.* Mediocritas hæc non tantum pro ratione virium, sed
etiam pro necessitate & lætitiâ uniuscujusque determinanda est.
Est necessitatis, quod requiratur ad vitæ conservationem & ad li-
beralem sustentationem. Est lætitiæ, ubi cor exhilarandi gratiâ
ultra demensam bibimus.

18. §. *Extrema sunt Ebrietas & nimia potus aversatio. Ebrietas*
(aliàs bibacitas) est intemperantia, quæ peccat in excessu circa po-
tum. Hoc vitium apud nos Germanos tam altas radices egit, ut
nullo modo extirpari posset. Alterum in defectu est ἀνώνυμον
inventuque rarissimum. Nimia potus aversatio est stupiditas,
quæ peccat in defectu circa potum.

19. §. Tandem ad Castitatem, in specie dictam Pudicitiam,
quæ est Temperantia servans mediocritatem circa Venerem,
descendimus. Objectum hujus ponimus Venerem. Nomine
hoc intelligimus & actum & alias voluptates in amplexu oscu-
lis, colloquiis &c. Quædam est illicita, quædam licita. Ut illa
planè damnatur, sic in hæc diligenter prospiciendum, ne valeta-
do lædatur, decorum negligatur, omnesque circumstantiæ post-
ponantur.

20. §. *Extrema sunt Libido & nimia honestæ Veneris detestatio.*
Libido est Intemperantia, quæ in excessu peccat circa Venerem. Hujus
species sunt impuræ cogitationes, obscœni sermones, illicitæ
flammæ &c. Alterum in defectu nomine caret. Pertinet huic
nimium sexûs muliebris odium, illegitima conjugij institutio,
simulata castitas, & violenta membrorum corporis mutilatio.

QUÆ

QUÆSTIONES.

Quæstio Prima.

Num vita per Temperantiam & bonam diætam prolongari queat?

1. §. Affirmamus sequentibus persuasi rationibus. Constat vitam nostram consistere in calido & humido radicali. Ut autem multa hanc calidi & humidi temperaturam conturbant, ita vi contrariorum sequitur, vitam omnia, quæ plurimum ad hanc mixturam conservandam faciunt, prolongare. Principiis enim vitæ materialibus & formalibus subinde restauratis, ipsam etiam vitam prolongari oportet. Temperantia & bona diætata ad calidi & humidi radicalis temperaturam conservandam plurimum faciunt. E. vitam prolongant. Idem probat caput 37. v. 34. Siracidis: *Ob crapulam multi obierunt: qui abstinens est, adjicit vitam.*

2. §. Idem stabilunt plurima exempla. Socrates tantâ Temperantiâ fuisse traditur, ut omnia ferè vitæ tempora inoffensâ valetudine vixerit. Xenophilus Musicus, si fides Plinio est adhibenda, solâ corporis curâ & bonâ diætâ fecit, ut centum & quinque annos impleverit. Alia vel centum studio omittimus.

3. §. Hoc tamen non ita intelligendum est, ac si vitam ultra terminum à Deo præfixum possimus prolongare, sed ut terminum assequamur, & quidem non fatali necessitate, sed juxta causarum secundarum constitutionem nobis præfixum.

Quæstio Secunda.

Num Temperanti saltare liceat?

1. §. Hæc quæstio est instar Penelopes, ob quam hætenus plurimi proci certatim certaverunt, ut Ulyssis reditus foret expectandus, hanc qui litem dirimeret. Quid sit saltatio, nemo non scit: appendix videlicet convivij admodum frequens in nuptiis & ante & post prandium. Hujus abusum ubique tantum experimur, ut plurimi οὐ πονηρῆς κόμματος viri existiment, saltationem ob pessimum & frequentem abusum penitus esse tollendam.

2. §. Ra.

2. §. Rationes negantium sequuntur: 1. Quia omnis saltatio suâ naturâ est turpis, cum libidinis augendæ gratiâ instituat, ut saltantes simul esse, se invicem tangere, & colloqui possint. 2. Est argumentum levitatis gravitati oppositum. 3. Publicæ utilitati obest. Nam ut saltatio ex vino, comotationibus & lasciviâ mentis oritur: sic post se relinquit supra, cædes, & immania facta, pacem publicam turbantia. 4. Quia videtur esse genus quoddam voluntarij furoris atque insanix. 5. Ad Ethnicismi reliquias pertinet. 6. Ecclesiæ Doctores hanc damnant. 7. Taxatur à Friderico & Alberto sapientissimis Imperatoribus. Fridericus febricitare, quàm saltare, mavult. Albertus vocat exercitium tantùm mulierculis dignum. 8. Saniores Ethnici hanc explodunt atq; irrident. Demosthenes Macedones graviter reprehensus vocat Saltatores. Cato Murenam taxat, quòd regens in Asiâ saltasset.

3. §. Agentes negant saltationem per se esse turpem, sed quâ lascivam, libidinofam, immoderatam & gravitati, aliisque virtutibus inimicam. Ideòque choreas non penitus improbandas, sed concedendas esse, imprimis ætati juvenili statuunt, certis tamen conditionibus: nimirum si sint decoræ, & non nimis frequentes, tempori & loco commodæ, si fiant in præsentia honestarum personarum, si dirigantur ad honestum finem.

4. §. Hanc sententiam probant sequentibus argumentis. Desumptum est primum ex Eccles. 3. v. 14. qui indefinitè pronunciat, tempus esse plangendi & saltandi. Secundum deducunt ab utilitatibus, quòd honestæ saltationes ad animi recreationem & corporis conservationem redundant. Minorem putant non indigere probatione. Nam videmus animum juvenilem, cui nihil magis acceptum & gratum, quàm decenter corpus movere, & à decoro corporis motu exhilarari. Tertium suggerunt Virtutes Homiliticæ, quarum exercitium, servatâ mediocritate, non improbandum. Ergò saltationes, quia ad harum virtutum, in jocos ac ludis consistentium, forum pertinent, sunt permittendæ. Quartum ab occasione faciendæ amicitix & contrahendi conjugij inter adolescentes & puellas mutuatur. Nam in saltationibus adolescentes puellis innotescunt, cum iis conversari, honestèque sese invicem tractare discunt. Quintum à naturâ rerum adiaphorarum, ad quas saltationes referuntur, procedit. Sextum saniorum Ethnicorum testimonia atque exempla porrigunt. Socratescitè tripudian-

*Lo dist inter
per se est t
interid, qu
est turpe.
Sper se h
ellus sunt*

tes maximè esse idoneos rebus bellicis affirmat, imò ipse saltationis, Memphidis dictæ, studiosus fuit. Apud Lacedæmonios, qui inter Græcos diu habitati sunt præstantissimi, saltandi studium non erat incelebre. Addunt & septimum, videlicet, iudicium orthodoxorum Theologorum, Lutheri, Brentij, Osiandri &c.

§.§. Cumulus hic utriusque partis adest probationum, contra & pro Saltationibus. Nos nostrum calculum addimus affirmantium, quorum rationes videntur esse potiores, parti.

Questio Tercia.

An omnis excessus in bibendo prohibitus?

Seu, ut alij quæsitum proponunt:

An ullus ebrietatis actus excusari possit?

Negamus. Ebrietas enim est defectus sobrietatis, quatenus in ebrietate nullus moderatus potûs usus cernitur. Deinde quia omnis divinorum donorum abusus est peccatum. E. etiam excessus in bibendo seu ebrietas. Minor est manifesta de ebrietate, quatenus terminos necessitatis ratione potûs à natura requisiti & hilaritatis excedit. Jam quia nullum peccatum excusandum. E. neque excessus in bibendo seu Ebrietas.

Questio Quarta.

An Ebrietas commissum flagitium excuset?

1. §. Distinguunt inter Ebrietatem atque Ebriositatem. Ebrietatem vocant unicum istum actum, quo quis vino aut alio inebriante potû ita obruitur, ut ad actiones officij certè obeundas ac sustinendas ineptus evadat. Hæc gemina est: *Spontanea & Invita.* Quarum ultima vel ex ignorantia vel violentia committitur. Ebriositatem verò habitum, quo & appetitus animæ cum corporis consensu spontè, promptè, crebrò & cum desiderio computationibus invigilat. *Benè notabis hanc Ethicorum distinctionem, cum plurimum valeat ad destruendas rationes affirmantium præcedentem questionem.*

2. §. Quamvis & Ebrietas & Ebriositas in vitiorum castris militent, illa tamen minorem, hæc graviolem reprehensionem incurrit. Ebrius ergò qui non datâ operâ, viribus vini non animadvertis, præter spem suam & rarò inebriatur, veniam ex parte meretur, non ex se, sed accidente, respectu voluntarij & *ωεγαρέσεως.* Non enim voluntariè, sed ebrietate ex improvîso contractâ, præter
inti-

institutum peccat. Ebriofus verò tantum abest, ut veniâ dignus, ut potius majori poenâ afficiendus veniat.

Questio Quinta.

Num pro alterius salute bibendum sit?

1. §. Morem hunc fuisse admodum familiarem tum Græcis tum Latinis, sequentes Ovidij & Martialis versus innuunt:

— — — *pro te, (canit Ovidius) fortissime, vota
Publica suscipimus, Bacchi tibi sumimus haustus.*

Martialis ita:

Nexia sex cyathis, septem Justina bibatur.

Observe circa Martialis hexametrum, nonnullos bibisse tot cyathos, quot literæ in amici vel amicæ nomine erant.

2. §. Eundem & ad nos, ut plurima alia, pervenisse, nemo est, qui nesciat. Nullum enim convivium hodiè celebratur, in quo non plurima pro aliorum salute exhauriantur pocula. Hunc autem morem esse detestandum origo & intentio docent. Respectu originis, quòd ab Ethnicis originem ducat: intentionis, quòd bono fine destituatur. Nam si finis hic bonus, utique vel bibenti, vel illi, pro cuius salute bibitur. Non bibenti, quia hic nihil commodi ex tantâ ingurgitatione, sed potius ingentia experitur mala. Animo exitium paratur, corpori plurimus morbus. Neque illi bonus est, pro quo bibitur. Nam inde hujus incolumitas non nascitur, neque quicquam boni percipit, sive in bonis animi, sive corporis, sive fortunæ. E. nullo modo bonus est.

Questio Sexta.

Num felicius tractentur studia ab ebris
an à sobriis?

Negamus. Nam affirmare hoc, est fingere lippos, & luscus acutiùs videre, quàm illos, quorum rectè habent oculi. Certè Ebrietas ad studia literarum & alia munia obeunda homines planè inhabiles facit, quia damnum infert corpori & animo. Ebrietas enim bonam ventriculi constitutionem evertit. Inde concoctione impeditâ, multæ relinquuntur cruditates. Hæc mala materia defertur ad epas, ab epate ad alia membra. Unde necessariò morbidum redditur corpus. Intellectus vires sunt perturbatæ, ita ut nihil inphantasmatum vel asservatione vel depromtione præstare queant.

Questio Septima.

**Num quis Temperantiæ modum excedat,
si plus edat, & bibat, quàm alter?**

1. §. Negamus. Usus enim cibi & potûs moderandus est, partim ex naturæ indigentia & necessitate, partim ex virtutis digestivæ quantitate. Ergo tantâ alimentorum proportione unicuique uti licet, quanta requiritur ad famis sitisque naturalis expletionem. Jam quia unus homo majore fame & siti naturali laborat, majori etiam alimentorum quantitate indiget. Hinc sequitur, uni homini licitum esse, plus edere ac bibere, quàm alteri.

2. §. Milo Crotoniates ad famem & sitim naturalem sedandam indiget vitulo, & aliquot vini congiis. Hanc cibi & potûs proportionem aliis sumere non est integrum. Ita laboribus exhausti plus alimenti appetunt, quàm viventes in otio. Ideò cuique sua natura est examinanda, ut naturæ necessarium alimentum sine culpa suppeditetur. Turpe enim est, stomachi sui rationem non nosse.

Questio Octava.

Num is sit Temperans, qui bis de die comedit?

Affirmamus. Nam talis tantum cibi potûsque assumit, quantum natura & consuetudo, altera natura, pro corporis & valetudinis conservatione exigit. Iccirco tantum abest, ut naturam opprimat, ut potius reficiat. Hæc enim gemina refectio, si est moderata, magis est virtuosa, & fructuosa, quàm una comestio, quæ cum ventris impletionem est conjuncta. Calor enim natus agit in partis corporis, ac earum quasdam absorbit, quæ per assumptum nutrimentum, restituuntur. Hæc autem restitutio rectius fit per geminam comestionem in quantitate justâ, quàm per unam comestionem in quantitate nimia, ventriculum viresq; reliquas obruente. Ibi enim usus cibi, ut crebrior, magis moderatus est; hîc autem ob appetitûs vehementiam plerunq; immoderatio, adeoq; ibi nutritio fit successivè, hîc cum impetu.

Questio Nona.

An vinum ante diluvium fuerit in usu?

Non hîc dubitandum, quin vites & uvæ, tanquam nobilissimæ stirpes, fuerint à Deo primitus creatæ, & maxima harum copia in mundo primo provenerit. Post diluvium verò esse hæc vel renovata, vel aliter disposita, nihil prohibet affirmare.

F I N I S.



Hem! te, SCHLEGEL J, gravis adversaria stringit;
Tres fratres lauru cinxit Apollo tuos.
Maeste bonis animi, & calca vestigia fratrum:
Sic quoq; te quartum cinget Apollo mitrâ.

Commensali suo
fecit

Jacobus Weller D.

TE magè perdoctis juvat impallescerè chartis,
Quàm vitiis animum contaminare tuum.
Hinc citus & scitus cè sobrietate rueris
Tmemata, quò sapiens temperet omne sibi,
Nempe, ut majorum vestigia trita sequaris,
SCHLEGELI, Sophiae cultor amice sacrae.
Perge ita, perge viam sectarier, æmulus almæ
Quò te virtutis ducit & ardor agit.
Nam qui virtutis sequitur fastigia avitæ
Gnaviter, hunc olim gloria avita manet.

In gratiam Doctissimi Dn. Respond.
quem æmulum fratris CHRISTOPHO-
RI, Viri Clarissimi, Amicid, veteris &
Academici sperat, LMQ.
scrib.

M. Michael Schneider
Moralium P. P.

Egre

EGregias animi dotes Schlegelius affert,
Hoc tanto nisu Spiritus astra petit.
Felix, qui forti conscendit tramite nisu
Astra brevi, sed vos rastra tenete pigri.

M. Martinus Heinsius
Fac. Phil. Adj.

Solus usus facit artificem.

ESt aliquid dextrâ plures voluisse libellos,
Et digitis doctos enumerare viros.
At melius lectum methodo proferre decenti,
Omnis ut, hunc sensum te voluisse, canat.
Hoc non crebra parat librorum lectio donum:
Hoc solus sermo continuatûs habet.
Ergò, SCHLEGELI, conatus laudo, cathedræ
Dum fers, quæ quondam lecta fuere tibi.
Ita Commensali suo
Præses.

ECce tuus Genitor meritis gravis atque senectâ
Tres gnatos laurum promeruisse videt.
Tres & adhuc adsunt, quos docta cacumina montis
Pierij gradibus jam superare juvat.
Sic est in gnatis virtus generosa Parentum:
Fortes atque boni fortibus atque bonis
Sic nascuntur: at innatam vim promovet ultra
Doctrina, atque animos non sinit esse feros.
Ergò Tibi, GOTTLIEB, grator: vestigia Patris
Atque trium fratrum quære: beatus eris.

Suo Commensali f.

M. Johannes Schindlerus
Chemnicensis.

Quòd

Quod tibi displiceat mandonum & turba bibonum,
Nec cures *uēgēs*, dulcis amice, vagas,
Non tantum tua vita probat, cultissima vita,
Sed quoque conscriptus sat labor iste probat,
Aurea Sobrietas dum quid sit, quantaque virtus,
Explanas, & quæ sint vitiata notas.
Huic coepto grator; mens hæc tibi porro vigescat
In vita, in studiis Sobria, Sana tuis.

*Commensali suo charissimo
deproperabat*

M. Abraham Eccardus
Bernslad. Siles.

Flamma cum Phaethon ascenderet eseda Phæbi
Pronaq₃ flammivomis lora teneret equis:
Si recto cœli medio temone meabis,
Phæbus ait, fili non ruiturus eris.
Phæbe mones; nati tamen irrequieta Juventus
Pugnat & ardenti suscipit axe fretura.
Sic multas medium tranare Schlegelius axes
Dum videt, & summo defiliisse jugo.
Argutis perstat medium mandare libellis,
Ut sciat hæc tactus limina currus ope.
Fama laceffat equos Pæan miscete Camæne,
Accurrant populi Fama laceffat equos.

Johannes Georgius à Koseritz.

Hæc precor auspicio procedant coepta Jehovæ
SCHLEGELI, & ulterius sint tibi causa boni.

*Commensali & Contubernali suo
percharo apposuit*

Jodocus Willichius.

Conflictus

Conflictus veros prius ut tentamine miles
Sape habito discit, seclâ bodierna docent:
Sic quoq; SC HLEGELI, Musarum castra secutus
Impiger auricome Pallados arma capis.
Et prius exploras vires, quàm indicere pugnam,
GUSTUS & TACTUS hostibus aggredere.
Sava hac felici sè viceris omine monstra,
Merces difficili parta labore venit.
Lauru nimirum dociles lambente capillos
Implicet emeritum pulchra Corona caput.

Commensali & Amico suo Candido
L. M. Q. adjecit

Christianus Hoffmannus.

Magnus Alexander, NIL CUNCTANS, dixit, habenas
Totius traxi sub juga nostra Soli.
Tu, si NIL CUNCTANS coeptis constanter adhæres,
Quondam, vel Momo Judice, **MAGNUS** eris.

hac apponebat
frater

Martinus Schlegelius.

05 A 2377

ULB Halle
003 784 398

3



VD/A

Del.







Ex Practicâ Philosophiâ
de
Temperantiâ,
Duce Deo & Præside
M. MICHAELE WENDELERO,
Facult. Philos. Adjuncto,
Johannes Gottlieb Schlegelius
Dresdensis
publicè disputabit
ad diem 24. Decemb. horis antemeridianis
In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
Anno M DC XXXVIII.